



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Descriptionis Baptizatorum Form. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

# TITULUS X.

## de Parocho.

In Præfatione.

### SUMMARIUM.

1. *Episcopi olim nuncupabantur Parochi.*
2. *Parochi tenentur retinere, & custodire Libros Parochiales, qui plenè probant ea, quæ ad officium Parochi pertinent.*

**P**arochus, qui ex Græco vocabulo, quasi Incola, seu Habitator, ex notatis à Pac. Jord. *lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 40. num. 4.* (& sub quorum nomine etiam Episcopi olim in Ecclesia non per extensionem metaphoricam, seu analogicam, prout hodiè, sed nuncupatione propria gubernacula tenebant, ut habetur ex *Can. 6. Concilii Vernensis sub Stephano III. an. 756. & ex Can. 42. & 45. Concilii Parisiensis sub Gregorio IV. anno 829. celebratis*) quinque Libros, qui Parochialis nuncupantur, habere, & retinere debet: In quorum primo, status Animarum Parochiæ conscribitur, & hic, si non in singulis annis,

triennio saltem renovatur. In secundo, Baptizatorum nomina describuntur. In tertio, Confirmatorum. In quarto, Contrahentium Matrimonia. In quinto, Mortuorum, quos omnes legaliter tentos custodire tenetur, ut docet Zecch. *de Republ. Eccles. tit. de Paroch. cap. 28. n. 23. vers. Idem quoque.*

2. Legaliter tunc dicuntur dicti Libri retenti, si benè compacti, & cartulati alium titulum non habent, nec aliquid aliud extraneum ibidem non adnotetur, suntque authentici, & plenè probant ea, quæ ad officium Parochi pertinent, ut advertit Pac. Jord. *lucubr. t. 3. lib. 14. tit. 20. n. 48. Adden. ad Pamph. decis. 456. n. 7. 8. & 9.*

Formulæ autem, quibus describende sunt particulæ Baptizatorum, Confirmatorum, Contrahentium Matrimonia, ac Mortuorum, possunt esse infra scriptæ, quæ hic apponuntur, non solum pro instructione Parochorum, sed Episcoporum, & aliorum Diœcesim visitantium, ut possint eisdem Libros ad debitam formam reducere, quatenus malè, & inscitè retentos (ut sæpè, & sæpissimè accidit) inveniant.

Descriptionis natorum, & Baptizatorum.

### FORMULA I.

**D**ie . . . . . mensis . . . . . anni . . . . . Ego N. Parochus Ecclesiæ N. baptizavi infantem natum in hac mea Parochia die . . . . . hora . . . . . (quatenus sciri possit) ex N. & N. legitimis conjugibus hujus Civitatis, cui impositum fuit nomen N. Patrinus fuit N. de Parochia N. & Matrina N. de Parochia N.

Nati